

D. Hier. virga somnolentos, ac demersos in peccatis excitat, & ad viam salutis reducit. D. Hieronymus in Psalm. 2. ait: Nunquid Paulo jus pravorum erat, ut virga comminaretur? Non utique ita opinandum est, sed quia omnis Dei sermo, quo per comminationem, terroremque judicii ad innocentis vitæ viam regitur, virga est nuncupatus, per quem providentis Rectoris monitu coercetur.

195. Postquam Deus locavit primum Parentem posuit eum in Paradiso, & Precepit dicens: De omni ligno Paradisi comede. Genes. 2. n. 16. Determinat Deus cibos Adamo de fructibus arborum, at verò de carnibus, & piscibus nullus est sermo, nec aliqua concessio facta legitur, ut larga manu se Deus habuit cum Noe, cui dictum est à Domino Genes. 9. num. 3. Omnes quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, quasi olera videntia tradidi vobis omnia. Cur, quæso, Adamo totius Orbis Principi fructus arborum taxantur in escas. At Noe, omnia animalia tam volatilia, quam terrestria, ac aquatilia ad mensam conceduntur. Unde tanta differentia in summa largitate Divina? Ut modo tam amplas escas homini porrigat, qui tam paucas antea concesserat. Cum limitatione fructus datur, ne pastus tanta multitudine ciborum inde ei daretur occasio, ut à lege exorbitaret in tanta felicitate positus: Talis vero occasio non dabatur in Noe cum ipse præ oculis habuisset diluvium, in quo præfigurabatur universale judicium, cujus umbra efficacissimum frænum est, ut homines contineat in lege Dei, ne ab illa recedant: Unde non mirum quod multa concedantur, ut judicium est ante oculos, quæ denegatur ubi nulla illius est memoria. Tertullian. l. contra Psychicos ait. Post diluvium reformatione generis humani, sufficisse unam interim legem à sanguine abstinenti, permissio usu caterarum, iam enim judicium Dominus ostenderat per diluvium. Ubi demonstratum fuit judicium, ibi imposta fuit magna, ac rigida catena, ne homines in peccata præcipitentur. Iam enim judicium Dominus ostenderat per diluvium.

Act. 2. n. 22. Viri Israelitæ audite verba hæc. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, ac prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis. N. 23. Hunc definitio consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. N. 24. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illud ab eo.

VERSIONES.

Syrus. n. 22. Qui à Deo apparuit apud vos præclaris factis. Ethiopicus. Quem monstravit vobis Deus signis, & miraculis. oecumen. Pagn. A Deo designatum, Tertul. destinatum, Vatabl. Exhibitum à Deo. Syrus. n. 23. Hunc, qui selectus erat sibi ad hoc ex præscientia, & voluntate Dei solutis finibus, &c. crucifixis, & occisus Arabicus. Hunc juxta mentem Deo præfinitam, &c. & postquam illuistis ei. Ethiopicus. In ordinatione consilii ejus & providentia suspēdistis eum; & trucidastis. Aliqui codices. Affligentes interemistis.

Judicii conf. patus homi. nos refranar. in peccatis.

Syrus. n. 24. Et solvit dolores, quia non possibile erat, ut detineretur. Arab. Quem liberavit à doloribus mortis.

EXPOSITIO XII.

Verf. 22. **M**iri Israelitæ. Antea verf. 14. eos dicit Petrus Viri Judai, quia sic à Iuda filio Jacob dicti erant, nunc verò eos appellat Israelitas, qui à Iacob, seu Israel dicti erant, cum eos Israelitas nuncupat juxta suum privarium significatum, viros fortes vocat, ut non moveantur dictis impiorum hominum. Audite verba hæc, ut notat Hugo, quæ ego dico vobis, nam quod impii, & iniqui dicunt, quod ebi sum isti. Iesum Nazarenum D. Chrysostr. statim parvam dicit, quæ sane videbatur contemptibilior esse: quod esset contemptibilis bene probatur ex illo Ioan. 1. n. 46. de Nathanaele dicitur: Nazareth poterit aliquid boni esse, & dicit Nazarenum. Communiter sic vocabatur à Iudæis Marci 10. n. 47. Luc. 18. n. 17. Ioan. 18. n. 5. à Pilato Ioan. 19. n. 19. ab Angelis in Resurrect. Marci 16. n. 6. & passim in toto Evangelio, de quo multa in citatis locis dicebatur Nazarenus, vel ex Patria, vel ex significato, quod juxta radicem Hebraicam, idem est ac flos, ipse autem dicitur flos campi. Cant. 2. n. 5. Virum approbatum à Deo exhibitum, demonstratum, designatum à Deo juxta varias lectiones, virum dicit, id est fortem, ac generosum, Syrus legit: Qui à Deo apparuit vobis, ut missus, exhibitus, demonstratus, designatus à Deo, quod efficaciter ostenditur. Virtutibus, prodigiis, & signis; per virtutes Liranus intelligit præclarissima opera virtuosa Christi, quæ fuerunt in supremo omnium virtutum apice, alii, etiam per virtutes intelligunt miracula, quæ Dei virtute fiunt. Expositio Lyræ videtur accommodatio prodigiis, & signis, hæc idem significare jam supra dixi, vel dic prodigia denotare magna, & stupenda, ut mortuos suscitare, signis à significando, ut Dæmones expellere, quod altius explicabo q. 23. in limine n. In medio vestri, id est vobis videntibus, & agnoscentibus.

Verf. 23. Hunc definitio consilio, & præscientia Dei traditum. D. Chrysostr. in præsentia sic ait: D. Petrus tentat liberare eos à crimine, ut quondam fratres suos Ioseph, à quibus venditus fuerat dicens, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum Genes. 45. n. 8. quia ipsam venditionem vertit Deus in bonum, ut exaltaretur Ioseph, & salvos faceret multos populos, ut dicitur Eccl. 50. numer. 16. Eccl. 50. simulque ostendit, ait Oecumenius, quam Christus libenter, ac libere passionem subiecit, & à Deo præfinitis cooperatus est. Et ait Textus, definitio Consilio. Totis sanctissimæ Trinitatis, ac præscientia Dei, prævidit impias Iudæorum voluntates resolutas contra Christum Iesum eorum peccata arguentem, ut eum crucifigerent, Traditum, id est expositum in tota Trinitate, per manus impiorum judicium, ac ministrorum, ut crucifigeretur.

Verf. 24. Quem Deus suscitavit, virtute sua propria, ut verus Deus solutis doloribus Inferni. Dolores mortis, & Inferni methonimicè sunt gravissimi dolores, qui mortem afferant, & animam demergant in Infernum: sensus est Deus suscitavit Christum superatis doloribus, ac cruciatibus concomitantibus mortem, & infernum; juxta quod erat impossibile teneri eum, cum sit innocentissimus, ac verus Deus expertus omnino totius pœnæ mortis, ac inferni seu sepulchri.

QUÆSTIO XXIII.

Resutantur deliramenta hereticorum præsentem Textum præventia.

200. Calvini, Beza. A It D. Petrus: Hunc definitio consilio, & præscientia Dei traditum. Impie, ac imperitè Calvinus, & Beza, & alii hujus furfuris pro præsentia legunt providentia ad suos errores, ac falsitates seminandas; dicuntque Deum esse Auctorem omnium operum, sive bonorum, malorumve; Deumque esse causam tam peccatorum, quam virtutum, & sicut fuit Auctor pœnitentiæ Petri, sic perditionis Judæ, ac crucifixionis Christi.

201. O impia, & impudica, crudelisque blasphemia contra Divinam bonitatem: Et imprimis juxta radicem græcam legendum, præscientia Dei, & sic habent antiquissimi codices, & Pares ante Calvinum, & Bezam: sed hi impii ad suos errores sustinendos corrumpunt hæc Sacram Scripturam, ut in multis aliis faciunt.

202. Sancta, vera, ac Catholica Doctrina est Deum non esse causam, nec Auctorem alicujus peccati, nec alicujus actionis moralis malæ, sed esse authorem omnium bonorum operum, quod deorsum est descendens à Patre luminis, conclusio est de fide Osee 13. num. 9. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Alij codices habent: Perditio tua ex te Israel. Psalm. 5. num. 4. Non Deus volens iniquitatem tu es. Jerem. 19. numer. 5. Aversaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Habacuc 1. num. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Eccl. 15. numer. 21. Deus nemini mandavit impie agere. Luc. 13. numer. 27. Quibusdam ait Christus: Nescio vos, discedite à me operarii iniquitatis. Jacob Apostol. capite primo numero decimo tertio ait: Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim tentator malorum est, ipse autem neminem tentat, unusquisque però tentatur à concupiscentia sua. Et multa alia loca.

203. Explicatur Dei præscientia, ac ejus divinum decretum. Totam hæc catholicam doctrinam altissime confirmat D. Petrus in præsentia dicens: Hunc definitio consilio præscientia Dei traditum. Dum decreto Dei conungit ejus præscientiam; nam, ut docent communiter Theologi Deus ab æterno, per suam omniscientiam prævidit Scribas, & Phariseos impios in tali tempore, & loco irruere contra Christum Iesum ejus nequitias reprehendentem, ut eum crucifigerent, tunc Deus decrevit ponere Iesum in tali tempore, & loco, & ejus mortem in salutem generis humani ad recompensandam injuriam sibi factam per peccatum Adami; ac proinde in Deo præscientia extitit ex malitia Judæorum, decretum verò ordinans ipsam Christi mortem in nostram Redemptionem fuit ex bonitate Divina.

204. Præventur obiectum hereticorum. Et ita in quoddam æternitatis signum obiectum fuit intellectui Divino illud peccatum crucifigentium Christum, ut futurum, Deusque illud præscivit suo infinito lumine, & itaque non quia Deus præscivit illud futurum erat, sed quia illud in se erat futurum, ideo Deus illud præscivit: Unde illa præscientia nullam ponit necessitatem in rebus, quia ipsa Dei præscientia non facit rem futuram, sed illa, quia futura, ideo prænotificatur à Deo.

205. D. August. D. Prosp. Communiter Sancti Patres. D. August. in sententiis n. 311. ait: Multi bona fecit Deus in homine, quæ non facit homo, nulla vero facit homo, quæ Deus non facit, ut faciat homo. D. Prosper ad capitula Gallorum cap. 7. sic ait: Gratia Dei non prius eos (scilicet repro-

bos) deseruit, & quia hoc ipsos voluntarie factum defectione prævidit, ideo illos in prædestinationis electione eos non habuit. sic D. Aug. multis in locis, D. Hier. D. Bern. D. Fulg. D. Chryl. Noster. D. Cyril. Alex. quos ad longum citant, ac sequuntur omnes Theologi cum D. Th. 1. 2. q. 79. art. 3. & sent. cum Magistro in 2. dist. 7. Tandem hæc veritas definita est in multis Conciliis Aſausic. 2. can. 25. anno 529. sub Felice IV. Tandem in Trident. sess. 6. can. 6. sic ait: Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permittit solam sed etiam proinde & per se, &c. Anathema sit.

Et ad hæc veritatem confirmandam fortissimas, ac gravissimas rationes, adducunt citati Theologi, & doctissime explanant, & ex eo maxime quia sententia hereticorum multum repugnat eam bonitate Divina, & ex tali hæresi sequuntur gravissima absurdum, quod, scilicet, Deus sit peccator, malefactor, injustus, & iniquus, quia condemnat hominem ad infernum ob peccata, quæ ipse fecit, ut homo faceret, quæ sunt impudica, blasphemica quas pia aures horrescunt audire. Hæc breviter pro præsentis Textus explanatione.

QUÆSTIO XXIV.

Quare D. Petrus per tam altissima media probat Christum D. verum esse Messiam promissum in lege, verumque esse Filium Dei?

A It D. Petrus: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo virtutibus, prodigiis, & signis, quæ omnia clare, & aperte monstrabunt ipsum esse verum Messiam in lege promissum, nam de eo scribens Iſaias ait cap. 35. n. 5. Deus ipse veniet, & salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc salvi sicut cæcis claudis, & aperta erit lingua mutorum. Quæ omnia abundantissime sunt adimpleta in Christo sua sanctissima, ac purissima vita in supremo omnium virtutum genere præclarissimo. Prodigiis magnis, & stupendis mirabilibus, suscitans mortuos, quinque panibus satians plura, quæ quinque millia hominum, ambulans super mare, aperiens oculos cæcorum, & aures surdorum, mundans leprosos, dans manus, & pedes claudis, & arefactis, sanansque infirmitates incurabiles, in signis, veluti à significando dictis, ut imperare Dæmonibus, eosque à corporibus expellere, quo evidenter demonstrabatur, quod ipse faciebat miracula, virtute Dei, & non Dæmonis, ut ipsemet Iesus confundens malitiam Phariseorum dixit Luc. 11. n. 17. aperiens, & revocans cogitationes cordium ibidem, & Matth. 10. n. 4. Luc. 7. n. 40. quod est opus solius Dei, ut ex Jerem. & aliis locis scripturæ dixi supra cap. 1. exposit. 12. n. 254. Deinde Christus D. sæpe condonavit, ac remisit peccata, ut patet ex locis proxime citatis Matth. & Lucæ, quod est tantum Divinæ omnipotentis opus.

Et licet aliqui Prophetæ fecerint aliqua miracula, fuerunt pauca, & in parvo numero, ut ait D. Petrus Actor. 10. numer. 38. Iesus a Nazareth qui pertransiit bene faciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Ut patet ex tota Evangelistarum serie, & Joannes 21. numer. 25. ait: Quod si per singula scriberentur, ipsum mundum libros capere non posse. In tam ampla multitudine sunt, & valde dissimilia opera Christi ab aliorum operibus; nullus enim Prophetarum penetravit cordium secreta, nec potuit remittere peccata, ut fecit Christus D. in quo universa, quæ prædixit Iſaias citato loco abundissime sunt adimpleta quæ omnia etiã luce meridiana clarius ostendebant ipsum Jesum

